



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ivsti Lipsi[i] Sapientiae Et Litterarvm Antistitis Fama
Postvma**

Lipsius, Justus

Antverpiae, 1629

Crassaque pro calido stragula thure dedit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70662](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70662)

tiam validissimis tamquam argumentis adstruxerunt? Historias legite omnis aevi, sacras & prophanas; nonne miranda facta, & quæ potentiam humanam excedunt, D E O tribuunt, & Geniorum ministeriis adsignant? ergo de euentuum causis philosophus disputet, nam de ipsis non potest, & quomodo-cumque ad altiorem potentiam & totius naturæ caput Deum ibit. Atqui de Geniis, & nos ad beneficos & salutare nostros ducimus, fidei sacramentis nihil refragantibus. Denique hac vnâ miraculorum re diuinitatem adstrui, Christianitatem corroborari, arbitramur; & frena iniici impietati & ἀσεβείᾳ. Verum nec sic philologum ea decent? De philologo omitto. pro philosopho ritè & scitè Synesius respondet, τὴν ἀσεβείαν ἐκ ἀπόβασις ἐστὶ φιλοσοφίας, ἀλλ' ἐπανάβασις. Pietatem non esse descensum à Philosophiâ, sed ad eam ascensum. & ita est, si veram quærimus: si non disputare, quod hodie obtinet, & instar hirundinum in scholis strepere; sed sentire & viuere ex philosophiâ volumus, & salutaribus eius monitis adstringi. faciamus. Ego redeo ad nostrum versificatorem, sic mugientem quasi cùm ouiculam lupus vorat. Quid mirum? carmen eius in fine laborat.

Crassâque pro calido stragula thure dedit.]

Cùm frigerent, inquit, miracula, thus calidum subduxit, & substituit crassâ stragula. conuenientia sanè. Accipe rei gestæ narrationem impie. Iam L I P S I V S, mortalitatis lineæ vicinus, optimam pellibus suffultam tunicam, professionis suæ & muneris adinistram, gradus etiam & dignitatis quasi trabeam, Diuæ Virginis ad aram deferri voluit, & offerri vsibus aut necessitatibus sacris. Quid ringeris? nouum ne aut inusitatum antea præstitit, & quod à L I P S I O exemplum capiat? Priscus sanè in Ecclesiâ mos, & à maioribus nostris nimio vsitatus; Donaria à viuis, morituris, denique & mortuis, in templa mitti, recipi, reponi. Sed ne ab vno paxillo calumniæ tuæ pendeat cribrum: accipe alterum, alterumque L I P S I A N I T E S T A M E N T I ipsissimis verbis.

Pateram duplicem inauratam, Constantiam dictam, do, lego templo Patrum Societatis. pro me orent.

Item libri scripti veteres, in membraná aut chartâ, item libri

Ec

Graci

Græci omnes cusi aut scripti, Collegi Societatis IESV hîc sunt.

Nec Franciscani, Cappucini, Sodalitas B. Virginis, aliique Religiosi, decedentis liberalitate præteriti fuere. Iam scio infurgis. utque solet aridis pinguidisque auctus ignis, vel summa tecta lambere, & altissimis exitium minitari; ita tuus nunc furor ignescit magis, magisque flammescit. Sed sustine quæso. *Cantharum accipe, ignem extingue; si cor urit, caput ne ardeat.* Olim dixi, *cum sacra, religiosæ, castæq; fuerunt res omnes, pluria facris collata semper munera fuisse.* Testes requiris? in manibus, vsibus, oculis sunt. Aspice hæc vndique laterum in cælum surgentia, turrium, templorum, aliaque piorum culmina fastigiorum. nihil nunc tam augustum, quod ab origine sui non fuerit pietatis donum. Ingredere: ornata quæ vides marmore, auro, ebore; quæ instructa tabulis, aulæis, vestibus, quæque omni cultus genere rutilare admiraris; hæc singulorum liberalitas est: & viuus dedit, aut moriens legauit. Quid subsannas? & verso pollice totam hanc quasi gladiatoriam manum iugulas? Hem contra erit: nam ego tibi, velis nolis, rudem extorquebo, & vel vnâ antiquitatis assertionem, te ad tui miserationem, Deo fauente, ducam. Nec externæ fidei ad redarguendum opportunitatem dabo, vernacula te tuosque veritas conficiet: nec è plebe aliquem quem pedibus trahas, sed primario fulgore sublimem: nec studiis vacuum, non quod (ut ille ait) *Litteratura omnium virtutum maxima sit, sed ut contra te stare scias, cui viuo hoc famigerabile laudum præconium contigit: Non extat ad præsens viui hominis oratio, quam peritia tua non sine labore transgredi queat ac superuadere. Est enim tibi opportunitas in exemplis, fides in testimoniis, proprietates in epithetis, urbanitas in figuris, virtus in argumentis, pondus in sensibus, flumen in verbis, fulmen in clausulis.* Quid respicis, & quasi de L I P S I O dicta putas? R E M I G I V S is fuit eximie eruditionis, in clytæ virtutis, sanctitatis maximæ Episcopus Remensis. Ille est, (ô grata agnosce Gallia!) cui Christi fidem, Reges tui religiosissimi, & longo successionis ordine præfulgentes, post DEVM, debent; à quo per spatia ampla regni, tot annis illibatum religionis lumen fulgere cœpit. Is, inquam, morti per ætatem & incerta humanarum vicinus, supremis tabulis sic postumæ voluntatis

Sidonius
Epist. lib.
ix. epist.
111.

luntatis suę ordinationem inscripsit. Lege; sed hac lege, ne gra-
uissimorum tractatorum aduersus fidem, ne Remensis Eccle-
się tutissima contra archiua, veritati obstrepas. Ego Remigius,
Episcopus ciuitatis Remorum, sacerdotij compos, testamentum meum
condidi iure prætorio, atque id codicillorum vice valere præcepi, si
iuris aliquid videbitur defuisse. Quandoque ego Remigius Episco-
pus de hac luce transfero, tu mihi heres esto Sancta & venerabilis
Ecclesia Catholica vrbs Remorum. Prodi nunc tenebrio, quisquis
es; & in hanc lucem claram certamque, vel cæcutientes tuos
erige oculos. Remigius totum semel patrimonium, omnium
põst sæculorum summã cum laude, Ecclesię suę dedit; vni-
cam L I P S I Y M tunicam, aliaque pro fortunæ viriculis mu-
nuscula in Ecclesiam pariter conferre, scelus erit? Sed si tanta
tibi innata vecordia, vt fas omne nefasque tibi lusus sit, vt pel-
licæ togæ tenuitatem canino pergas suspendere rictu; vel in
agnitionem veritatis te euangelica illa lux ocullet, quæ stipem
erogantis pauperulæ, pretiosis magnorum donariorum cu-
mulis præposuit. Nec à Remigio tamen recedo, cuius vnum
fanè è multis & religiosis legatis, fideliter describo. Vas argen-
teum triginta, & aliud decem & octo librarum, inter te heres mea
& Diocesim Ecclesiam Laudunensem, factis patinis atque calicibus
ad ministerium sacrosanctum, prout volui, Deo annuente distribui.
Aliud argenteum vas decem librarum, quod mihi sæpè nominatus
Dominus, illustrisque memoriæ HLudouicus Rex, quem (vt præ-
dixi) de sacro baptismatis fonte suscepi, donare dignatus est, vt de eo
facerem quod ipse voluissim, tibi heredi meæ Ecclesię suprã nominate,
iubeo thuribulum, & imaginatum calicem fabricari; & epigramma-
ta, quæ Lauduni in argenteo ipse dictaui, in hoc quoque conscribi vo-
lo. Quod faciam per me, si habuero spatium vitæ. En Donarium,
Thuribulum, Epigramma in calice. Tu contrã epigrammate
donaria eludis; thuri, crasso straguli acumine illudis. Sed quin
illud quoque legis, vt pudorem habeas, vt tuum impietatis fu-
rorem, Remensis Remigij sanctitatis feruorem agnoscas.

Hauriat hinc populus vitam de sanguine sacro,

Iniecto æternus quem fudit vulnere Christus.

Remigius reddit Domino sua vota Sacerdos.

Vtinam tibi bonam mentem! quam vel perfunctoriè hîc te

E e 2

habe-

* Hinema-
ri, Floardi,
aliorum-
que.

Nôta emu-
le nascentis
in Gallijs
Ecclesiæ
statim
opes.

Floard. hi-
stor. Re-
mens. Ec-
clesiæ.

habere vellem, & conferre materiam, sententiam, & vtriusque poëmatici ingenium instinctumque. Non ita loliginis succus lacti distat, quàm hirriens tua & spernax contumelia mulcedini sanctissimi Vatis. Tuum furiali tumore exuberans, tamquam pestilenti sidere lectorem afficit; istud pietatis vberibus manans distentis, religionis melle, & zeli sesamo sparsum, blanditum auribus animisque illabitur. Si diuersitatis causam requiris; accipe istam. Fidem, quam Remigius, operoso pietatis remigio, Gallijs inuexit; quam Christianissimi Reges, sublimi maiestatis elogio suis præscripsere titulis; quam mille centum & sex in hunc diem anni venerandâ perpetuitate deduxerunt, hanc tui & tu educere conamini.

Quis furor ô ciues, quæ tanta licentia?

Sed ne post donaria, thura, epigrammata, miraculum desideres; iterum crede, & cede tandem. Spero facies. nam acetum Punicum nõ sic Alpium solidas laxauit compages, quàm hæc miranda & beneficia, licet vetera, caucasias nouatorum mentes. Remigius HLudouicum prophano gentilitatis errore liberabat, CHRISTO salutaribus abluendum aquis præparabat; cum nec miraculum Fidei SIGILLVM, magni Regis, magni deinceps Christiani populi, salutis incunabula destituit. *Nam cum fortè qui Chrisma ferebat, interclusus à populo deesset, ecce subito non alius sine dubio, quàm sanctus apparuit Spiritus in columbæ visibilis figuratus specie; qui rutilanti rostro sanctum deferens Chrisma, inter manus deposuit sacerdotis, undas fontis sanctificantis. Fit gaudium & exultatio: baptizantur multi de populo.* Heus fodes, annuis? Noli aliter. nam alibi tutò nugaberis. hæc miraculi fides sæculis cognita, cæremonijs sacris & Regum sanctitati coniuncta, non sacrilegum tantum te, sed & furciferum faceret. Ergo vel operi caput, si erubescis: & Remigium Franciæ apostolum, Regum, Galliarumque; populi assertorem, calicis, thuribuli, tot prætereà donariorum largitorem, sacrosancti Sacrificij mystam, omnis sanctitatis exemplum, deinceps nobis, imò vobis magis concedito. Superstitionem deinde, Idololatriam, togam pelliceam, aliaque ad summam caueam spectantia, vltra ne diffamato. Contrà, & rationis planè curò rîç rāçæw facere si pergis, *Quiritium fidem inuocabo, &*

te

Aimoinus
de Gestis
Fræcorum
lib. I. cap.
XVI.

te non L I P S I O, sed fidei publicæ, mille centum & suprâ annis, omniumque Regum felicissimæ successioni, conuitium dicere clarissimis argumentis euincam. Nunc transeo, nec lucem in meridie accendere pergo. Toga te tantum L I P S I A N A postremum obiurget; quæ postmodum, proprio nullo usu, aræ aut sacris apta, non magno nimis ære, Cl^{mo} Antecessori *Gerardo Corfelio* Ic^o Græcâ & Latinâ litteraturâ instructifimo viro cessit. emit in amicissimi memoriam; nec sine eâ accipit, vel ponit. Pecunia adscripta rationibus aræ D I V A E V I R G I N I S L O V A N I E N S I S.

N V N C anonymus alter incipit. Sed prius qualis aut quis sit, an ater, an albus, sedulo inquiram? nihil opus: nam priorem fanè illum colorem ab inuidiâ, hoc est naturâ, ducit; à moribus, hoc est scripto, ostendit. nemo candidus, & sic probus, tam irreligiosus alumnij, fato compositum L I P S I V M lacefferet. Tamen præmoneo ex oraculo prudentissimi Historici; *Pessimum inimicorum genus, laudantes esse.*

Politiorum amator ille verborum.]

Cautè, hem caue, dormitator iste adludiat. Fama, de Sirenibus sic fabulam instruxit: dulcè illas canere, in soporem nauitas vectorésque dare, mox mergere & vorare: idem iste, sed frustra tentat. nam fallere dum cupit, semel verû dixit. Quod nec ipsi tribuas velim, cui numquam nisi de mendacio rectè credideris; sed veritati tam certæ, vt nec doctis eam dolis zonarius subuertere possit. Benè hodie, & è tripode vir magnus scripsit, sensitque: à nemine nominari L I P S I V M, quin prius laudetur. ergo L I P S I O conuitium dicere nullus nisi illaudatus potest. Politiolem, audi Liuor, æuum nostrum, nec maiorum habuit: Latinitas, Perspicuitas, Ordo in scriptis; sed, meliori adhuc elogio, Tranquillitas, Modestia, Humanitas in moribus: vltimo denique optimoque præconio, Prudentia, Sapientiâ, Virtus in animo. hisce gradibus, *superata tellus astra donat.*

Tali, tantoque, sic scurriliter tamen iste adlatrare tandem definit: